

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

91. Aqua fortis fortissima Paracelsi

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

tis per novem dies continuò digere, destilla aquam ut materia in fundo remaneat olei similis, &c. destilla toties donec omne aurum per alembicum transiverit. Ibidem. *Balneum hoc unctuosum aurum cæteraque metalla redigit in olea, quoniam ex oleoso vini phil. spiritu, concentrato & exsiccato in Alkali quodam vegetabili, & Nitri spiritu, confectum est; ubi è contrario sal armoniacum vel Aqua Regis com. metalla ultra suam, id est, salinam naturam transmutare nequit, oleitatem enim quam non habet dare non potest. Isaacus ob Retortæ tubulatæ nondum sortassis tum temporis cognitæ defectum, non parvam spirituum jacturam passus est in hujus menstrui destillatione, quam Basiliius dictæ retortæ ope resarcire annisus est, quamvis & hoc non sine sua difficultate.*

Melius istud confecere Adepti recentiores Crinot, Trismosinus, & Paracelsus, destillationis difficultatem & spirituum jacturam observantes, qui simplici sed meliori modo sal armoniacum vegetabile dissolvebant in Nitri spiritu vel aqua forti absque omni jactura, periculo & tædio.

91. Aqua fortis fortissima Paracelsi,

Libro 3. Arch. de separ. Elem. pag. 7.

R. **S**AL Nitrum, Vitriolum, & Alumen æqualibus partibus, quæ destillabis in aquam fortem, hanc rursus ad suas fæces affundes, iteratoque in vitro destillabis, in hoc aqua forti clarifica argentum, & postea in ipsa sal armoniacum solve.

Nec Paracelsum per sal armoniacum intellexisse commune, etiam ex usu menstrui demonstratur, quem ita describit: His peractis; accipe metallum in laminas redactum, & in aquam resolves ibidem, id est, in eadem aqua, tandem separa per Balneum, rursus affunde. Hoc itera toties, donec in fundo repertum sit oleum, ex sole vel auro spaciendum; ex luna lazurium; ex marte rubeum & valdè obscurum; ex mercurio album; ex saturno lividum & plumbeum; ex venere viride

I i 2

prorsus;

prorsus; ex Jove flavum. *Ibid.* Quis cum communi Aqua Regis dissolvit unquam metalla promiscuè, tam argentum quàm aurum in oleum, vel spacideum, vel lazurium? Ne quid dicam de metallorum omnium reductione in duas pinguedines rubram & albam Essentiam & corpus invalidum. Ab effectu ergò clarum est Paracelsum sal Harmoniacum aqua forti dissolvisse pro sua aqua forti fortissima.

Guido addit quod Paracelsus omittit salis armoniaci pondus in hujus menstrui confectiōe.

92. Aqua Regis Guidonis,

Pag. 22. *Thesauri. Chym.*

R. **V**itriolum sal com. Nitrum, destilla in aquam fortem, accipe hujus libram unam, salis armoniaci (*phil.*) uncias quatuor, destilla adhuc semel.

Solomon Trismosinus aliquando metalla dissolvit in communi aqua forti, & solutioni addidit sal harmoniacum. Ita argentum aqua forti dissolutum volatilisavit cum prædicto sale, libro 8. Tinct. in Tinct. quinta pag. 81. Aurei Velleris German. R. Lunæ puræ uncias quatuor, solve in aqua forti com. abstrahe phlegma, adde residuo salis armoniaci drachmas sex & affunde novam aquam fortem, abstrahe iterum in cineribus ad oleitatem, hoc repete quater cum nova aqua forti, tandem urge fortiter & luna ascendet una cum aqua forti.

Aliquando Aurum & Argentum junctim hoc menstruo volatilisavit. In Tinctura Regis Julaton, pag. 16. Aurei Veller. R. Auri limati, salis armoniaci, ana uncias duas, quibus affunde argenti optimi in unciis octo aquæ fortis dissoluti uncias quatuor, abstrahe ad oleitatem, novam affunde aquam fortem, quod repete ter cum recenti aqua, & aurum una cum argento ascendet per alembicum.

Lullius suam Aquam Regis confecit dissolvendo sal harmoniacum vegetabile in aqua acida mercurii sublimati.

93. Aqua